s. Solon
oraculo sapientissimus est iudicatus, quod non tum hoc,
tum illud ut in plerisque, sed idem dicebat semper: A-
nimos hominum esse divinos, hisque cum ex corpore
excessissent reditum in celum patere, optimoque et i-
ustissimo cuique expeditissimum. Quod idem Scipioni
videbatur, qui quidem quasi presagiret perpaucis
ante mortem diebus, cum et Phylus et Manilius a-
dessent et alii plures, tuque etiam Sceuola mecum
venisses, triduum disseruit de re publica. Cuius di-
sputationis fuit extremum fere de inmortalita-
te animorum, ea que se in quiete viso ex Affricano
audisse dicebat. Id si ita est, ut optimi cuiusque
animus in morte facillime evolet tamquam e cu-
stodia vinclisque corporis, cui censemus cursum
ad deos faciliorem fuisse quam Scipioni? Quocirca
merere hoc eius eventu vereor ne magis invidi
quam amici sit. Sin autem illa verior, ut idem inte-
ritus sit animorum et corporum, nec ullus sensus ma-
neat, ut nichil boni est in morte, sic certe nich-
il mali. Sensu enim amisso fit idem, quasi natus
non esset omnino. Quem tamen esse natum et nos ga-
udemus et hec civitas romana dum erit letabitur. Quam
ob rem cum illo quidem, ut supra dixi, actum

affirmat hic animos immortales esse